

Acta Tribunalium Sanctae Sedis.
Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal.
Sentencia definitiva, 20 abril 1991.
Expulsión*

Prot. n. 20289/88 C.A.

N

Dimissionis

(Suprema Moderatrix Instituti X - Congregatio pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae)

SENTENTIA DEFINITIVA

IOANNE PAULO PP.II, feliciter regnante, Pontificatus Dominationis Suae anno XIII, die 20 aprilis 1991, Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, videntibus Em.mis ac Rev.mis D.nis PP.Achille Silvestrini, *Praefecto*, Bernardino Gantin, Petro Palazzini, qui et *Ponens*, Rogerio Etchegaray, Simone Lourdusamy, Eduardo Gagnon, in causa N, Dimissionis; inter Matrem

* Sentencia traducida por Pablo Lamata Molina.

Y, Moderatricem Generalem Instituti X, repraesentatam per Adv.tum Carolum Gullo, et Congregationem pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae, repraesentatam per Adv.tum Renatum Ottaviani, intervenientibus in causa tanquam Promotoribus Iustitiae deputatis prius Rev.mo Patre Xaverio Ochoa, C.M.F., nunc vero e vita erepto, et dein Rev. do D.no Ioanne Paulo Montini, hanc definitivam tulit sententiam.

FACTI SPECIES

1. Die 28 decembris 1987 Moderatrix Generalis Instituti Sororum X una cum suo Consilio decretum tulit dimissionis sororis Z ab Instituto -in quo militaverat per triginta circiter annos- et, die 30 eiusdem mensis et anni, acta omnia dimissionis, una cum decreto, transmisit ad Apostolicam Sedem pro confirmatione ad normam can. 700. Ratio dimissionis, quae afferebatur erat pertinax inoboedientia relate ad translationem praefatae sorori impositam. Congregatio pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae, postquam significaverat aliquod vitium adesse in processu dimissionis Sororis Z (die 20 aprilis 1988), decisionem sumpsit se non posse decretum dimissionis confirmare in casu (die 4 iunii 1988).

2. Moderatrix Generalis, die 10 iunii 1988, recursum interposuit apud Sectionem alteram Signaturae Apostolicae adversus decisionem Congregationis pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae diei 4 iunii 1988.

Advocatus, vero, Congregationis pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae, die 9 octobris 1988, excepit defectum legitimationis Moderatricis Generalis Sororum X ad recurrendum in casu. Memorialibus hinc inde mutuatis, exceptio parum solida visa est Promotori iustitiae deputato, qui insuper censebat recursum admittendum esse ad disceptationem coram Em.mis Patribus Cardinalibus. Huic voto Patronus recurrentis declarabat se nihil respondere velle (3 martii 1989) et quoad quaestionem de defectu legitimationis ad recurrendum (a parte adversa proposita) petebat ut de ipsa videretur in examine causae principalis (9 martii 1989). Patronus partis resistentis, e contra, instabat in sua thesi duplici memoriali (5 maii 1989, et 4 septembris 1989).

Attamen novus Promotor iustitiae deputatus, Rev.dus D.nus Ioannes Paulus Montini, rursum praedictam thesim reiciebat, concordans cum

voto Rev.mi P. Xaverii Ochoa, CMF, (11 iulii 1989).

Dein in Congressu diei 5 octobris 1989 coram Em.mo Cardinali Praefecto habito, decretum est: "Recursum admittendum esse ad disceptationem coram Patribus Cardinalibus". Dubio die 15 decembris 1989 concordato, Patronus partis resistentis die 23 ianuarii 1990 memoriale exhibuit et ad votum pro rei veritate, a Rev.do Promotore iustitiae deputato oblatum, per novam scripturam diei 18 iulii 1990 replicavit, dum e contra Patronus partis recurrentis declaravit sibi praevis scripturis nihil addendum esse. Promotor tandem iustitiae deputatus, Rev.dus Montini die 15 octobris 1990 suum primum votum perfecit et implevit.

3. Respondendum nunc est dubio concordato sub hac formula: "An constet de violatione legis vel in procedendo vel in decernendo relate ad actum Congregationis pro Institutis vitae consecratae e Societatibus vitae apostolicae diei 4 iunii 1988".

IN IURE

4. Legitimatio ad agendum in iudicio praesupponit et comprehendit capacitatem seu habilitatem partis ad ius actionis et ad huius iuris exercitium coram iudice. Legitimatio activa limitationibus circumscribi potest, attamen limitationes sunt expressis verbis determinandae et sunt strictae interpretationis, quia inducunt inhabilitatem personae et liberum iuris exercitium coarctant (cf. can. 18). De se, iniure canonico "quilibet sive baptizatus sive non baptizatus potest in iudicio agere" (can. 1476), etsi nonnullae limitationes de facto ponantur in canone 1478 (cf. etiam can. 1480). Etiam quoad competentiam contentioso-administrativam apud Sectionem Alteram Tribunalis Signaturae Apostolicae persona, quae se aliquo modo gravatam sentiat aliquo actu administrativo singulari Dicasteriorum Sedis Apostolicae, gaudet legitimatio activa ad contentionem deferendam et proponendam coram ipsa Signatura Apostolica (cf. can. 1445, §2), relate tantum ad violationem alicuius legis in procedendo vel in decernendo (cf. Const. Ap. "Pastor bonus", art. 123, §1; Normae Speciales Signaturae Apostolicae, art. 96). Requiritur tantum ut contentio seu gravamen oriatur ex asserta violatione legis.

5. Etsi decretum dimissionis alicuius religiosae e sua Congregatione pertineat ad Supremam Moderatricem cum suo Consilio, nonnullis observatis condicionibus (cf. can. 699, §1), "decretum dimissionis vim non habet nisi a S. Sede confirmatum fuerit, cui decretum et acta omnia transmittenda sunt" (can.700). Decretum, vero - in instituto iuris pontificii - suam vim acquirit atque notificari potest solummodo post confirmationem competentis Dicasterii (cf. Responsum diei 21 martii 1986; in AAS 78, 1986, p. 1323). Decreti confirmatio sive religiosae sive Congregationis praesidio esse vult tanquam examen superius.

6. Contra decretum Dicasterii competentis datur recursus ad alteram Sectionem Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae, quoties contendatur... (Dicasterium) legem aliquam in discernendo vel in procedendo violavisse (cf. Pastor bonus, 123, § 1). Quod valet sive ex parte religiosae dimissae, sive ex parte moderatricis supremae cum suo consilio, secus deficeret paritas in eodem iure.

7. Quoad dimissionem religiosarum sunt casus, in quibus ipso facto religiosa considerata est dimissa ab Instituto (can. 694), vel dimitti debet (can. 695). Potest, vero dimitti etiam propter alias causas, inter quas "pertinax inoboedientia legitimis praescriptis Superiorum in materia gravi" (can.696, § 1).

Translatio ab uno ad aliud officium typicum obiectum est oboedientiae, dum e contra nimia stabilitas in loco, speciatim si religiosa adlaborat extradomum, facile eandem subtrahit directioni Superiorum et evanescere facit oboedientiae votum.

IN FACTO

8. Moderatrix generalis Sororum X suo iure usa est, una cum suo Consilio, quando decretum tulit dimissionis sororis Z propter causas, a iure admissas, servato ordine procedendi, qui eidem legitimus apparuit. Decretum latum a Moderatrice Generali cum suo Consilio est intrinsece completum; sed executioni mandari non potest nisi post confirmationem extrinsecam competentis Dicasterii Curiae Romanae. Decisio Congregationis pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae diei 4 iunii 1988, qua ipsa non confirmavit decretum

dimissionis sororis Z, fuit actus administrativus Dicasterii Romani, qui aliquod gravamen intulit Moderatrici Generali, imo toti Instituto Sororum X: sufficiat revocare murmurationes, quae exinde oriri possunt contra gubernium Instituti. Unde in casu Moderatrix Generalis ius habebat recursum interponendi contra decretum non ratificans dimissionem. Absque dubio si decretum Congregationis competentis confirmavisset decretum dimissionis ius ad recursum competebat sorori Z. Eodem modo ac ratione, si actus administrativus Dicasterii Curiae Romanae infirmat Decretum dimissionis, altera pars quae est subiectum relationis administrativae, id est Moderatrix Generalis, gaudere legitimatione activa ad recurrendum contra decisionem eiusdem Dicasterii dicenda est.

9. Rationes quae in contrarium afferuntur non sustentur vel non sunt ad rem. Clarissimus publicae administrationis Patronus opponit dimissionem religiosarum esse actum complexum, sed exinde non aufertur activa legitimatio recurrentis. Forsitan ipse vult dicere non haberi in casu veram decisionem Dicasterii et ideo

Moderatricem Generalem non posse recursum proponere.

At in hoc casu recursus reiciendus esset ob defectum decisionis; non vero ob defectum legitimationis activae recurrentis. Sed neque defectus decisionis sustineri potest in casu, quia decisio Dicasterii diei 4 iunii 1988 est vere definitiva pro recurrente. Vi decisionis Congregationis pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae Moderatrix Generalis privata fuit iure proprio dimittendi religiosam propter rationes allatas. Exinde nata est contentio et datus est aditus ad recursum, cum Moderatrix Generalis non immerito cogitaret adfuisse legis violationem.

Cl. mus publicae administrationis Patronus opponit quoque Congregationem pro Institutis Vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae exercere in casu potestatem discretionalem. At usus potestatis discretionalis esse potest legitimus vel illegitimus: proinde in casu usus illegitimi qui damnum exinde habuit potest recurrere ob assertam illegitimitatem actus.

Idem dicendum est de ratione "politica" decisionis Congregationis pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae.

Neque dicatur in casu Moderatricem Generalem nullum habuisse gravamen per decretum Dicasterii Romani. Etenim increpare aliquem de in-

competentia in applicanda lege vel de carentia caritatis certo certius est bonae famae laesio, quae non indifferens gravamen provocat.

10. Videamus, insuper, quaenam fuerint rationes denegatae confirmationis decreti dimissionis religiosae, de qua in casu, allatae a Congregatione pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae. Adducuntur ab ipsa plures legis violationes, quae, revera, non sunt ad rem: violationes canonis 1512, n.5; canonis 220; denegationem auxilii ex parte Instituti, cui Soror dimissa pertinebat; defectum considerationis erga postulationes Sororis ad dilationem obtinendam. Quae rationes non sustentur vel non sunt ad rem.

11. Ita incassum invocatur can.1512, n.5, iuxta quem praecipitur "lite pendente nihil innovetur". Principium valet in foro iudiciali canonico. Sed non potest invocari in quaestionibus disciplinaribus, sicut hic agebatur inter

Sororem Z et directionem nosocomii W. De cetero, quando praeceptum oboedientiae Sorori Z datum est (16 iunii 1987), quaestio iam soluta fuerat in favorem eiusdem Sororis, etsi haec in aliquo documento declaraverit se paratam esse ad oboedientiam "dopo aver ricevuto per scritto, da parte dell'Ospedale, il riconoscimento della mia totale estraneità all'addebito disciplinare attribuitomi". Sed alibi ipsa religiosa admittit: "La questione... (è) ormai totalmente risolta". Quare documentum scriptum supervacaneum ab eadem iudicabatur, cum ageretur de forma, non de substantia. De facto documentum scriptum non amplius exquisitum fuit.

12. Inter alias rationes quae invocabantur ad declinandum oboedientiae praeceptum erat laesio bonae famae, quae ex translatione Sororis Z e Q. ad G. videbatur consequi contra praescriptum canonis 220.

Attamen translatio alicuius religiosae ab uno loco ad alium, ab aliqua domo religiosa ad alteram, est res ordinaria; imo oportet instare in eiusmodi translationibus ne religiosa nimia in loco ligamina assumat et independentiam a Superiorissis, speciatim quando labor praestatur extra domum.

In casu, vero, translatio ligatur cui-dam quaestioni, quam Soror Z habuerat cum Directione nosocomii in quo suo munere Adsistentis Socialis fungebatur. Quis dicere poterat: post hoc, ergo, propter hoc. Hoc, revera, dicere quis poterat pendente dubio de accusatione facta. E contra in casu innocentia praedictae religiosae demonstrata fuerat. Ideo deficit connexio. Paulo post oboedientiae praeceptum Soror agnoscit: "la questione dell'Ospedale (è) ormai totalmente risolta, a me favorevole". Declarat se demonstravisse "l'infondatezza dell'addebito disciplinare" et addit: "il caso armato ai danni non soltanto miei non aveva alcun fondamento e quindi è chiuso".

13. Duae aliae rationes a Congregatione pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae adducuntur contra decretum Moderatricis Generalis in casu: defectus auxilii sorori praestiti et defectus considerationis erga postulationes praecepti oboedientiae dilationis. Duae rationes simul considerari possunt quia increpatio ob denegatum auxilium sese refert ad denegatas dilationes ad ex-

sequendum praeceptum oboedientiae.

In primis de quaestione suae translationis soror Z saepe collocuta est cum Moderatrice Generali, dum haec Delegationem L. suae Congregationis invisebat, mensibus maio et iunio et praecise die 15 et 27 mensis maii necnon die 18 iunii. Iam in prima conversatione Suprema Moderatrix renuntiationem iussit officii quod soror Z habebat in nosocomio W. Noluit dilationes concedere nisi parvas, quia bene noscebat tensionem quae habebatur in illo nosocomio inter plures medicos et Officium Adsistentium Socialium, cui soror Z praeerat. Ideo condicio rerum dilationem impedi-

bat. Soror Z ad dilationem obtinendam suetas rationes adduxit: sanitatem suam physicam et spiritualem tueri. Quoad valetudinem physicam soror optimos medicos invenire poterat sive Q. sive G., ut notum est. Quoad valetudinem spiritus ("rilettura della mia vita alla luce della fede") proposita quae a sorore Z manifestantur in suis epistulis ostendunt quam longe ab ea sit perfectio religiosa. Loquitur, enim, de animo alieno erga Delegationem generalem pro L. et de translatione possibili in aliam Congregationem religiosam. His praemissis ne in infinitum quaestio protraheretur,

necessaria fuit instantia in urgendo oboedientiae praecepto.

Hoc non obstante rationabiles brevesque dilationes Suprema Moderatrix sorori Z concessit: exercitia spiritualia differebantur; translatio differebatur a kalendis augusti ad kalendas novembris post interventum formalem Dicasterii competentis.

Obliviscendum praeterea non est ipsam Congregationem pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae die 15 octobris anni 1987 indultum exclaurationis sorori Z postulanti negavisse et mandavisse ut Soror ipsa "maneant in sua religiosa vocatione humiliter se submittendo mandatis Superiorissarum suarum". Quae mandata certissime Congregatio pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae non ignorabat, sed nihilominus post paucos menses illegitima declaravit.

14. Demum asseritur defectus considerationis erga defensiones a sorore exhibitas.

Sed, si bene leguntur hae defensiones, series accusationum dicendae sunt potius quam defensiones, speciatim contra Delegatam Generalem pro L. et contra valetudinarii Directorem et medicorum structuras.

Accusationes contra Delegatam Generalem pro L. non probatae dicendae sunt.

Quoad accusationes contra valetudinarii Directorem non est nostrum decernere et iudicare.

Sed ex actis plene patet haberi gravem controversiam inter Officium s.d. Adsistentiae Socialis (cui soror Z praeerat) et alia officia eiusdem nosocomii.

Hoc in contextu bene intelligitur conamen restituendi pacem et serenitatem in nosocomio ipso per sororis Z translationem.

15. Concludendum est confirmationem decreti dimissionis in casu denegatam esse ob motiva non vera, quod aequivalet violationi legis in decernendo.

16. Quare, omnibus et singulis tum in iure, tum in facto rite perpensis et cribratis, etiam quod attinet ad exceptionem defectus legitimationis activae, quam Collegium nostrum Cardinalium Iudicum - attentis rationibus supra expositis, necnon voto Promotoris Iustitiae deputati, Rev.mi P. X. Ochoa - reicit, proposito dubio censuerunt Patres Em.mi respondendum esse, uti respondent:

AFFIRMATIVE, SEU CONSTARE DE VIOLATIONE LEGIS IN DECERNENDO RELATE AD ACTUM CONGREGATIONIS PRO INSTITUTIS VITAE CONSECRATAE ET SOCIETATIBUS VITAE APOSTOLICAE DIEI 4 IUNII 1988, QUO DENEGABATUR CONFIRMATIO DECRETI MODERATRICES GENERALIS SORORUM X DIEI 28 DECEMBRIS 1987, IDEOQUE ACTUM IPSUM IRRITUM ESSE IN CASU.

Ita pronuntiamus et statuimus, mandantes iis ad quos spectat, ut executioni tradant hanc Nostram definitivam sententiam.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 20 aprilis 1991.

Achilles Card. Silvestrini, *Praefectus*
 Bernardinus Card. Gantin
 Petrus Card. Palazzini, *Ponens*
 Rogerius Card. Etchegaray
 D. Simon Card. Lourdasamy
 Eduardus Card. Gagnon

ET NOTIFICETUR

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 8 iulii 1991.

+Zenon Grocholewski, Secr.
 Vincentius Cárcel Ortí, Canc.